



E libris

**gymnasio Mauritianio Magdeburgensi**

a venerabili

**Carolo Funk**

theol. doctore et gymnasii directore

**a. 1857 hereditate relictis.**

*G. o. 657.*





7

ORATIO SOLLENNIS  
IN IPSIS  
*ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE*  
ANNIVERSARIIS IN AVGVRATIONIS  
SACRIS  
ET  
DE PACE  
AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI  
BRITANNIARVM REGIS  
**GEORGII III.**  
MODERATIONE SAPIENTIA AC VIRTUTE  
ORBI TERRARVM REDDITA  
GRATVLATIONIBVS  
PVBLICO ACADEMIAE NOMINE  
HABITA  
A  
CHRIST. GOTTLLOB HEYNE.  
RHET. ET POET. P. P. O.

\* \* \* \* \*  
G O T T I N G A E  
APVD VICTORINVM BOSSIEGELIYM.  
MDCLXIII.

ORATIO SOLLENNIS  
IN HIS  
ACADEMIAE GEORGICAE MAGISTERIAE  
UNIVERSITATIS INVAGARIATIONIS  
SACRIS  
ET  
DE PACE  
ACADEMIÆ OCOTINTISSIMI  
BRITANNIARVM REGIS  
GEORGI III  
MODERATIONIS SPLENDAVOCALITATE  
ORBI TERRARVM REDDITA  
EXALATIONIBVS  
LARICO ACADEMIAE NOMINE  
CHRIST GOTTLÖHR HEDWIG  
HILDEBERTUS  
GOTTINGAE  
VPAO AICTORIUM DORSIFERIUM  
MDCCCLXII

L213



PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE  
ILLVSTRISSIMI COMITES  
VIRI SVMME REVERENDI ILLVSTRES CONSVL  
TISSIMI EXPERIENTISSIMI EXCELLENTISSIMI  
AMPLISSIMI  
COMMITITONES GENEROSISSIMI NOBILISSIMI  
HVMANISSIMI.

**P**ublico mihi nomine ad Vos nunc primum prod-  
eunti si argumentum orationis circumspicien-  
dum aut optandum fuisset, quod siue rei grauitate  
et dignitate se commendaret, siue, publicae felici-  
tatis commemoratione, auditionem cum beniuo-  
lentia coniunctam compararet, siue meae, tanquam  
noui & parum exercitati hominis, dictioni aucto-  
ritatem adiungeret, ac summa rerum vberate et va-  
rieteat meam infantiam locupletaret; quae tandem ad  
res, aut quod tempus expectari poterat, quod ad

A 2

ea

4

ea consequenda magis idoneum et opportunum es-  
set, quam illud ipsum, cui huius diei tanta celebri-  
tas, Illustrium huius Academiae Ordinum ac flo-  
rentissimae iuuentutis tanta frequentia, debetur.  
Academiae enim nostrae, singulari numinis O. M.  
prudentia ac cura inter omnes belli procellas et  
tempestates fonsitatae, & nouis etiam opibus auctae,  
anniversaria natalium sacra celebramus; quo qui-  
dem die quis solennior, aut quae publicae laetitiae  
hilaritatisque causa grauior, commemorari possit?  
Accesit tamen, quod vix expectari poterat, huius  
laetitiae maximus cumulus, ex felicissimis publicae  
tranquillitatis et incolumitatis auspiciis. Non ille  
nobis iam dies inter grauissima belli mala, aut gra-  
uiorum metus et minas redit; non inter hostium  
acerba imperia aut incertam humanitatis usuram,  
aut, liberata iam ab iis urbe, inter blandam quidem,  
dubiam tamen et parum firmam, pacis iamiam redi-  
tutae spem et expectationem; qualem huius diei no-  
uissime redeuntis faciem meministis; sed illuxit iam  
ille nobis dies plena pacis ad omnem terrarum or-  
bem diffusa luce illustratus; illuxit ille, non iam in-  
ter gaudii effusi et inconsiderate exultantis primos  
impetus, qui ne mox residant grauiorumque malo-  
rum sensui locum faciant, verendum sit; verum in  
medio bonorum et commodorum, quae pax afferre  
solet, usque, in ipso felicitatis publicae fructu, in  
summa securitate et otii iucunditate, ac certa fidu-  
cia duraturae tantae huius ad sera tempora felicita-  
tis.

tis. Quid? quod ipsum caelum, nubibus imbricibusque dispulis, quibus superiores dies obducri animos nostros ad tristitiam componebant, solita auctumnali claritate et serenitate repente hodierno mane esfulsit, ut publicae nostrae laetitiae ridere ipse annus videatur. Nihil est, quod gaudia nostra infringat aut disturbet; nulla, ne parum fida ac firma ea sint, suspicio. Abest omnis molesta prudentia et cautio, ne gestientis animi motus paulo inconsultius erumpant; aut inimicis publica hilaritas grauis eiusque significatio suspecta sit. Quis iam tacita voluptate perfici, in sinu gaudere, gaudia fronte et supercilium tegere ac dissimulare, quis pectoris dulcissimos impetus reprimere ac cohíbere, aut pro Optimo Principe, cuius beneficio tantorum honorum cumulum debemus, vota clam conceperemus? Nunc tandem fidamentis interpres lingua ipsa animi sensa loquitur; atque eam piatem libere profitetur, qua numen maiestatemque Augustissimi Regis adoramus, qui omnibus triumphis, tropaeis ceterisque victoriae, insignibus dicam an ludibriis? incolumentatem populi sui, felicitatem humani generis, antehabuit; qui, fortunae incredibili indulgentia usus, cum nihil eius cursu impetuusque sustineret, praeclara sapientia vltro eius frenos iniecit, eaque tanto moderatius usus est, quo maiorem abutendi licentiam haberet; qui tandem ciues suos veris pacis bonis locupletare, quam inter imaginarios et inanes gloriae bellicae titulos.

verso V

A 3

pri-

priuatorum patrimonia effundere, maluit. Cuies quidem diuini animi moderationem, magnanimitatem et clementiam cum futura deinceps secula, non quidem maiore veritate, forte tamen auctoritate, praedicatura sint, earam vero rerum fructum omnis posteritas, non sine GEORGII perennibus laudibus, sit perceptura; nos, ad quos tantorum bonorum praefentes fructus redeunt, illorum caussam et originem diuinam indiciam praetermittimus? Quod si, qui longo tempore in vinculis habiti fuere, cum liberos se et compeditibus solutos sentiunt, membris ultro mouendis, flectendis et in omne positus genus variandis magnam iucunditatem percipiunt, eique voluptati liberius ad satietatem indulgent; nobis certe, sermonis iam, cum pace, libertate redditia, si ei experiundae et gustandae paullo acrius incumbamus, ignoscendum erit; in primis cum ea ita vtamur, quo iustissimi humanitatisque amantissimi REGIS laudes non quidem praedicemus aut ornemus, qua enim arte diuina, qua ingenii facultate, qua dicendi vi fieri id possit? verum ut eas grato nobiscum animo reputemus, atque earum immortales fructus, pacisque, Optimi Principis virtute, sapientia et aequitate partae, maxima bona, post tantam belli mala, recolamus. Quam quidem ad rem et ipso vsu iucundissimam, et cum sensu affectuque animorum Vestrorum A. A. coniunctissimam, si Vestrarum in audiendo benivolentiam multis flagitare atque implorare velim, verendum mihi sit, ne

Vestræ

Vestrae humanitati iniuriam facere, aut meae dicendi facultati nimium etiam, quam par sit, dissidere videar.

Bellum A. A. consecutum vidimus, cuius siue magnitudinem lateque ex uno in alterum terrarum orbem disseminatam materiem consideramus, siue variae, qua gestum est, fortunae inopinatos casus ac mirabiles euentus reputamus, sive magnum clarissimorum triumphorum numerum, ducum prudentiam, militum virtutem, cogitamus, quod cum eo comparari possit, neque patrum memoria ullum gestum esse, neque omnium seculorum historiis commemoratum meminimus. Non duorum illud, aut paucorum obscuri nominis, paruarum opum, nullis aut parum frequentibus commerciis coniunctionum populorum, sed potentissimarum, opulentissimarum, sapientiae ac virtutis laude clarissimarum gentium bellum, quod non angustis paruorum regnorum aut ciuitatum finibus circumscriberetur, sed totius Europae, totius terrarum orbis bellum; ut, quae Orientalium sermone de belli terroribus et calamitatibus, petitis ex tota rerum natura figuris, tam mirifice amplificari solent, ea nos proprie et ad rerum veritatem commemorare possemus. Ab extremis inde Asiae Indis ad Indos alterius orbis, horrenda contagione, lata omnium rerum strage, incendium funestissimum increbuerat; mari, terrae, omnia infesta, hostili rapinae, violentiae, infidiis

fidiis patentia. Sol, siue oriaretur, siue occideret,  
 vndeque populos in mutuam internacionem inten-  
 tos, passim praelia, conflictus, fugas, urbium agro-  
 rumque vastationes lustrabat. Ipsis fluctibus uni-  
 versas nationes haerere, dixisses, et, quasi alterutrum  
 non satis horroris haberet, oceani pericula cum bel-  
 li terroribus accumulata. Gratissimum illud deo,  
 humani generis conditori ac patri, spectaculum, di-  
 scissi, tot vastis maribus, aut montium inuiis iugis ac  
 solitudinibus, terrarum orbis restitura commerciis  
 communitas et hominum consociatio, aut sublata  
 erat, aut ita in perniciem omnium et excidium ver-  
 fa, ut omnino nullam esse mallemus. Ab extremo  
 terrarum orbe excitas gentes sub alio sole, pro causa-  
 fa, de qua nihil inaudierant, pro dominis, quos  
 nunquam viderant, iucundum lucis usum depone-  
 re, ac populos concurrere vidimus, qui sibi vix no-  
 mine noti essent, et, cum intra teli iactum ventum  
 esset, nouas altera alterius aciei formas, ora et ha-  
 bitus, mirarentur; qui eos socios amicosque saluta-  
 rent, quibus cum nulla inquam nec utilitatis nec  
 sermonis communitas intercesserat, et qui interdum  
 ne ducum quidem sermonem intelligerent, nutum  
 et minas pro imperio haberent. Qui Scythiae cam-  
 pos et deserta perpetuo itinere pererrant, Germaniae  
 nostrae meliorem cultum sedesque certas po-  
 pulabundi mirabantur. Alii, tuguriis aeterna ni-  
 que glacieque obductis inhabitare soliti, liberos et  
 solutos vere campos obequitare et sereniore coelo  
 frui

frui gaudebant. Quid Hunnorum atque Auarum  
 reliquias, aut Slavici nominis populos memorem,  
 ex iis passim sive hostium sive sociorum terris praec-  
 das agentes, quas eorum aliquando maiores sedibus  
 suis occupassent et tenuissent? Quid in altero or-  
 be innumeras Indorum gentes naturae ferocia pro  
 virtute et siluarum insidiis pro belli artibus videntes,  
 corpora, inclemsti coelo et aeris iniuriis durata,  
 melioribus armis inermia, pro sociis, qui domini  
 potius habendi essent, obiciuentes? Quid imbel-  
 les et ignauos Indos Asiae, quid seruituti natos, man-  
 gorum ludibria, venalitios Afros, memorem, qui,  
 quam pro se suaque libertate tantopere refugiunt  
 mortem, pro durissimis dominis oppetere cogeban-  
 tur? Sed illud multo etiam magis mirum, quod  
 idem populus per totum terrarum orbem diuisis ac  
 dispersis viribus et copiis, belli procellam aut infe-  
 rebat aut depellebat, eodem tempore atque eodem  
 die diuersis maribus ac terris pugnas faciebat, idem  
 in orientis, idem in occidentis plagiis, idem in aliis  
 regionibus, aut pro imperio aut pro gloria, peri-  
 culis mortique corpora sua obiciiebat. Non enim  
 Britannos nostros ex omnibus fere terrarum oris  
 triumphos petere vidimus? Qui in Germania Gal-  
 lorum impetum tam fortiter sustinebant, iidem ci-  
 vies suos ac notos familiaresque Galliae littora infe-  
 stare, Africæ et Asiae emporia et castella expugna-  
 re, Americae lacus, flumina & maria vietricibus  
 classibus perulitare audiebant. Quoquo te verte-  
 res



res, CONTEMTOR ILLE MORTIS POPVLVS, libertatis, non modo suae, sed totius Europae, vindex acerimus, uirtutis praeclarae ardore incensus, arma mortemque intentabat. Huic rapido vndique gradu sese offerebat gloriae tanquam viso et phantasma obiecto attonita, honorisque illecebris lenociniisque fascinata, Gallorum natio, et non contemnda virtute, magno impetu, arma circumferebat. Iuxta hos populos quis aliam alicuius populi virtutem conspicuam et illustrem fieri posse credidisset? At fuit tamen quam maxime insignis et memorabilis virtus ciuium nostrorum HANNOVERANORVM, qui ducum suorum incredibili prudentia et arte, fortitudine ac disciplina, paucis annis tantam belli laudem consequuti sunt, quantum aliae nationes vix longo seculorum ordine sibi comparare potuerunt. Stabant cum iis socii, qui corporum animorumque fortitudine maiorum suorum virtutem referrent. Arma ex altera parte cum Gallis socia iuxerant, quae ad liberandam patriam expedire maluissent, Saxones, antiqua belli gloria nobilis gens. Sed ab his humani generis oculos conuertebat magnum par compositum, Austriacus cum Borusso, vetusta ille nobilitate et gloria ferox, hic recentibus triumphis exultans, qui tot victorias, quot praelia, commemoraret, ille numerosissimis copiis, auxiliis, sociis instructissimus, hic omnia belli praesidia et auxilia in se suaque virtute reponens; ille e multis diuersisque populis collectus, hic e ciuibus

con-

¶ ¶ ¶

conscriptus; ille tandem multorum clarissimorumque ducum consiliis abundans, hic regem suum, eundem et imperatorem habens et militem, et praetorium. Venerant ad belli laudem gloriamque communicandam Russi, corporum duritie & vastitate, animorum robore, machinarum bellicarum opere, metuendi. Germania vero nostra, tot imperiorum et rerump: tanquam familiarum necessitudine coniuncta ampla aliqua domus, mutuis dissidiis distracta, pro diversis partibus et caussis, quod pro sua caussa facere debebat, in armis excubabat. Quid? qui, cum iam restinguui bellum videretur, maius et iam incendium excitaturi videbantur, immodi ci forte, nec vani tamen virtutis iactatores, Hispani? quid? ne colore quidem quaesito, contra ius fasque oppugnati, et Britannicis opibus defensi Lusitani? Non itaque oratoris licentia, sed ad rei veritatem, dixisse videor, cum totum terrarum orbem funesto bello arsisse, totum humanum genus mutuae interne-  
cioni imminuisse dicarem.

Sed tantis mortalium vindique euocatorum coetibus potius quam exercitibus, tanta non militum, sed nationum sub signis habitarum collecta vi, tanto belli apparatu, tanta virtute et gloria, nec minores res gestae sunt. Non septem annorum, sed ab omni inde memoria humani generis, annales legere nobis videmur, cum res hoc bello gestas cognoscimus. Plures intra exiguum hoc tempus easque in-

B 2 gentes

gentes et fatales pugnas pugnari vidimus, quam in  
toto hoc seculo, tot vniuersae Europae bellis no-  
bili, factas esse legimus. Cogitate cum animis vestris  
bellicosissimarum gentium historias, Romani popu-  
li bella, Punicum secundum numerosis stragibus  
memorabile; neque tamen intra totidem annorum  
spatium tot praelia commissa, tot miras rerum con-  
versiones, tot praeclara facinora, magnae virtutis,  
audaciae, prudentiae exempla memineritis. Fuere  
tempora, quae magnam clarissimorum et pruden-  
tissimorum ducum segetem ferrent, nulla tamen  
praestantissimorum imperatorum prouentu hac no-  
stra aetate feliciora; inter quos cuius non animo  
primo statim loco duo illa belli fulmina succurrunt,  
**FERDINANDVS**, qui belli summam immortali virtu-  
te & prudentia administravit, et **PRINCEPS BRVN-**  
**SVICENSIS** heres, qui tot tantisque incredibili vir-  
tute ac fortuna gestis rebus tot pulchris et honestis  
cicatricibus etiamnum fidem facit. Atque hic non  
minus eius **R E G I S** memoriam animis vestris ac-  
cidere arbitror, cui, cum aliis de gloria aut pro im-  
perio pugnarent, ipsi etiam de salute, atque inter-  
dum adeo de vita pugnandum esset, et de quo si  
interdum victoriae insignia, nunquam tamen victo-  
riam reportasse videntur inimici. Pulsus enim su-  
peratusque multo magis terrori erat victoribus,  
quam hi victo; et cum iam horum in potestate po-  
situm esse arbitrareris, vt belli impetum, quo vel-  
lent, conuerterent, repente rerum summam ita e-  
ius

ius prudentia administratam cernebas, vt illis, tanquam victis, de salubri ac tuto receptu circumspiciendum esset. Miraculum hoc virtutis aequae ac fortunae, quod huius seculi historiae veritatem posteris suspectam, et fidem molestam ne reddat verendum est, REX ille inquam vere inuictus, qui non bello peritus, sed vniuersae Europae opibus circumventus, et armis oppressus videri poterat, quo nullus vnquam rex maiora hominum nec odia nec studia expertus est, quoties de eius fortuna ac salute vniuersum genus humanum non metuit? cum ipse, altitonanti Ioui similis, si fabulam sequi licet, nubes et procellas infra pedes suos misceri despiceret, de fato suo satis securus, et si sibi non decesseret, facultates, praesidia, fortunam nunquam defuturam ratus. Tantorum itaque Imperatorum prudentia, ingenii acumine et sagacitate, rei militaris scientia ac vsu, artis etiam subtilitate, bellum hoc, ex rei quidem militaris peritorum sententia, non minus docte, quam fortiter, gestum videri potest. Nulla victoria, quae non extorta potius et erepta, quam concessa videretur, nullus triumphus, qui non, diu suspensa, ac paruo tandem siue virtutis aut artis militaris locorumue peritiae momento, siue fortunae inclinatione, depresso lance, victori appensus esset; nulla fuga, nisi quam maior et non amplius sustinenda vis faceret, et quae non receptus potius prudentiam, quam fugae trepidationem referret. Atque hic quantopere gestus animus, Britannicae virtutis

tutis praeclara exempla, terra marique partam immortalem gloriam, tot in ditionem redactas prouincias et insulas commemorare! dicere Gallos tot praeliis nauibus victos, tot eorum classes captas, aut contractas aut depressas, armamenta et naualia incensa, portus et stationes obsefatas, maria clausa, milites classiariorum sociosque nauales in vinculis habitos, exuvias nauticas et classium spoliis ornatas vrbes Anglicas, rem maritimam Gallorum omnem ita fractam et afflictam, ut ne de resarcendo quidem damno cogitare sustinerent; Africæ littora, Asiae castella et emporia, atque ipsum Pondicherium expugnatum; ut Galli iam tota citra Gangem Asia deiecti esse viderentur; in America vero, post Caput Britonum, post varia castella vindicata, Canadam omnem, firmamentum illud et robur rei maritima Gallicae, in Britannorum potestatem redactam, Quebecum et Montem Regalem ac tot ad Laurentii flumen lacusque interioris terrae castella capta et Britannico milite imposito firmata. Accederet tantarum rerum cumulus insula Guadalupia, Martinica, cum tot alis minoribus insulis, et in Europa Bella Insula; mox vero, Hispanis in societatem belli Gallica arte inductis, Hermiones nauis opima praeda, Cuba insula cum opulenta vrbe Havanna, et inter ipsam pacis pactionem, Insulae Philippiae. In Germania vero tota Gallici nominis moles non modo sustentata, sed, incredibili virtute ac fortuna, toties a prouinciis Regis nostri de-  
pulsa

pulsa et represa aut in extremis saltem earum finibus haerens, quanta dicendi materies suppeteret! quam secunda copiosissimae orationis argumenta! Sed maxima rerum et copia et grauitate opprimi mensio, et cum bellicis ipsis ornamentis non minor a pacis decora, tot sapientiae ac prudentiae diuinæ exempla dicenda mihi supersint, quod cauti armorum artifices facere solent, ut vires suas ad summam rem quam maxime incolumes et integras servare studeant, id non minus mihi facendum, et ad eas res properandum esse video, quarum ut magnitudo et claritas, apposita belli ratione et natura, tanto magis illustraretur, haec tenus elaborandum mihi esse duxi.

Scilicet, ut maximas quidem et amplissimas hoc bello res gestas, innumera incredibilis prudentiae et artis, inauditaeque virtutis, exempla diuino consilio, insigni fortunae constantia, fulcepta et perfecta esse negari non potest, siue ad speciem et ex hominum opinione ac nominum veritate rerum aestimationem facimus, siue, quod in malis necessario receptis, cum ea subterfugi nullo modo possint, inferre damna ac depellere, satius est quam illata perpetrati, siue quod omnino in imbecillae huius vitae iniqua et tot erroribus opinionibusque obnoxia conditione multa virtutis et laudis loco habenda sunt, quae sapientibus non probantur; ita sapientissimo ac prudentissimo R E G I, qui nunc inter-

Diuos



Diuos diuinarum suarum virtutum fructum cum  
 maxime percipit amplissimum, longe aliter videba-  
 tur. Non Ille ignorabat, nullam bello praeclaram  
 rem geri, nullum illustre facinus edi, quod, si ad hu-  
 manitatis rationes referatur, non cum aliqua inno-  
 centium mortalium calamitate coniunctum atque  
 adeo, si humanitatis sensum audias, non auersandum  
 potius et deprecandum, quam optandum et ample-  
 ctendum sit. Nihil omnino in belli natura proba-  
 bile aut tolerabile inesse, nihil, cuius humanitatem  
 aut non pudeat aut non poeniteat. Summam belli  
 laudem et gloriam flagitium et inustum stigma esse,  
 quando homines nos esse cogitemus. Victoriae et  
 triumphos nihil aliud quam mala minora esse, inter-  
 dum, ex rerum euentu, ipsa fugae calamitate graui-  
 ra, neque villam vñquam victoriam reportatam,  
 qua omnino caruisse reipublicae non vtilius fuisse.  
 Tantum itaque Ille aberat, vt, quod reges a belli  
 plerumque malis intacli, inter omnium rerum af-  
 fluentiam luxu diffluentes, faciunt, cum praeterquam  
 ex nuntiorum sermonibus, de belli calamitatibus  
 nihil facile resciscant, vt Ille, inquam, tantillum  
 lacesitus ad bellum rueret, aut iniuriae vltionem  
 nunquam deponeret; vt potius magnum illum ani-  
 mum, iam ante bellum suscepimus, belli innumera  
 mala cogitatione praecepisse, et, vt anteuferteret aut  
 a suis populis depelleret, enixe elaborasse constaret.  
 Obuersabantur sanctis oculis non modo obvia illa,  
 quibus multo sermone frequentatis animus occa-  
 luit,

Iuit, mille mortis genera, morientium gemitus,  
 sauciorum eiulatus, amicorum desideria luctusque;  
 sed et illa, quae extra militiam ciues opprimunt,  
 mala, hostiles terrores, metus, iniuriae, contumeliae,  
 vexationes, rapinae, prouinciarum popula-  
 tiones, vrbiuum direptiones, incendia, agrorum  
 vastitas, ab opere et rei domesticae cura avocatorum  
 desideria, e finu parentum, et liberorum, coniugum-  
 que complexibus abstractorum ciuium pallor, do-  
 minorum solitudo, familiarum luctus, praesentis aei  
 intra naturae spatium contracta tempora, noua se-  
 culi spes et progenies extincta aut intercepta aut  
 contaminata, omnis vitae cultus extinctus, omne  
 iusti iniustique discrimen sublatum, immanitatis  
 consuetudine et ipsius spectaculi atque exempli con-  
 tagione efferrati animi, barbariae mala cum luxus  
 vitiis; fructus porro, messes, vitae copiae et sub-  
 sidia partim ad belli usus, partim militum insolentia,  
 partim frumentariae rei praefectorum fraude et  
 auaritia, dominis ercta; pascua relicta, agricultu-  
 ra deserta, mercatura et nauigatio conquiescens,  
 vectigalia et cum iis belli subsidia, pacis ornamen-  
 ta, aut extincta aut debilitata et immunita, mune-  
 ra vero et tributa omnem priuatorum rem exhaus-  
 rientia, crescentes indies belli necessitates, defici-  
 entes facultates, hinc priuata publicaque inopia,  
 hinc solutio impedita, molesta aut nulla fides, for-  
 tunarum naufragia, dominia rerum alienata, fun-  
 di nouos dominos indignantes, mercaturaem com-

C

mer-

mercia interclusa; tandem, noua belli pestis,  
 moneta adulterata, euersum ius, fas fidesque.  
 Quibus omnibus paternum illud et diuinum GEOR-  
 GII pectus tam vehementer percellebatur, vt  
 cum a vi et cupiditate aemulae et vicinae gentis ne-  
 que maiestatem suam et dignitatem neque populi in-  
 columitatem et salutem tueri et defendere aliter  
 posset, quod non nisi cunctanter et repugnanter suscep-  
 perat bellum, quam primum deponere cuperet et  
 optaret. Itaque et illud consilium placere, quo  
 oppressum se ante hostis quam petitum et oppu-  
 gnatum videret, vt, dum suis se artibus premi sen-  
 tiret, quibus superioribus in bellis tam feliciter ipse  
 vsus erat, de iniuria desisteret, ad aequitatem se  
 referret, et ad disceptationem cognitionemque ve-  
 ritatis ac iuris, non ad frigidas et ieunias calumnias;  
 quod adhuc fecerat, ab armis rem deduceret. Tam-  
 eti vero sapientissimis consiliis fortuna euentus  
 non respondisset, non tamen Ille, siue aduersam  
 siue secundam fortunam experiretur, aequas con-  
 ditiones offerre, inimicos tentare, modo per Rus-  
 sos, modo per Danos, modo per Hispanos  
 de pace appellare destitit. Verum odiis et  
 inimiciis animi adeo exarserant, aut vana utili-  
 tatum spe et ostentatione inducti ac magnae soci-  
 tatis foederisque, in quod tota fere Europa coierat,  
 fiducia elati intumuerant, vt aequissimas quasque  
 conditiones, mitissima quaeque consilia, fastidiose  
 spernerent et repellerent. Itaque praeclara illa et  
 tan-

tanto pectore digna GEORGII sollicitudo successum non habebat, cum omnem operam sedulo adhiberet, ut ne belli, quod diu abstrusum flagrauerat, et tandem viribus auctis exarserat, incendium late disseminaretur et in Germaniam penetraret. Enimuero hac vna ex parte, si bellum in continentem deducere et propagare possent, caussae se suae utiliter inseruire, Britannos vero cum Rege vulnerari existimabant Galli; ea ratione curas, consilia, opes, vires Britannorum distringi, magnis eorum impensis exercitus in aliena terra ali, se, cum equestri pedestriique exercitu valerent, maritimi belli damna terrestribus compendiis facile resarcire aut compensare. Sed nec sic, qui armis et consiliis inuitus erat, aut superbia aut pertinacia hostium vinci se passus est REX constantissimus. Nulla hiberna ab belli expeditionibus curas paullulum remiserant, quin iterum hostium animos experiretur, si eosdem in iis generosos sensus excitare et inflammare posset, quibus magnum suum pectus incalescere sentiebat. Ita, inaudita et sapiente vere digna animi moderatione ac placabilitate, GEORGII et FRIDERICI nomine, Hagae Comitum hostium legatis ostensem erat, si ad dextras iungendas et aequum pacis foedus ineundum descendere vellent, ne malo quidem eos pudore, quo minus id significanter, retineri debere, aut, ne priores de pace appellasse viderentur, vereri. De cuius declarationis veritate tanta tum existimatio erat, ut, cum

-nA-

C 2

Bata-

❧ ❧ ❧

Batavi Bredani, quo pacis arbitri et artifices conuer-  
nirent, nominassent, magnanimus ille Rex et di-  
gnus, qui sapientum, si qua esset, reipublicae prae-  
cesset, STANISLAVS suam urbem humaniter  
ad hospitium pacis polliceretur. Sed neque tum  
aduersariorum aut irae deferbuerant aut spes inanis  
et somnia oculis defluxerant; vt tamen iam perti-  
naciae colorem aliquem adhibendum esse putarent.  
Interea diuina sapientia ex tantis rerum turbis GE-  
ORGIVM II. auocarat, et caelestem animum  
inanibus his et vanis sublunaribus curis ac consiliis  
liberarat; cum quo quidem vnico pacis auctore et  
defensore, absque tali, quem habuit, successore  
fuisse, omnis quantumvis serae pacis spes sepulta,  
genus humanum interne ciuo bello circumuentum,  
Europae resp. suo excidio imminens videri poterat.  
Verum, quem diuus ille animus pacis amorem nu-  
trierat, idem sanctissimum GEORGII III. pectus  
obsidebat, vt nihil prius habendum, nihil omitten-  
dum aut detrectandum sibi esse putaret, quo gene-  
ri humano pacem, incolumitatem, salutem, vi-  
tam, lucem redderet. Cum itaque iam placabilio-  
rem se hostis ostenderet, missi vtrinque sunt infe-  
quentis hiemis exitu, qui de pace agerent, viri sa-  
pientissimi, hinc Stanleius Parisios, Bussius Lon-  
dinum; in Germania vero Augusta Vindelicorum,  
quo conuenirent, qui de pace agerent, vrbs dicta  
est. Protracto tamen in proniorem usque annum  
negotio, cum interea ad societatem cum Gallis et  
Au-

Austriacis ineundam sollicitati essent Hispani, immi-  
stis callide horum querelis, cum maximo omnium  
bonorum lucu, laetissima pacis spes evanuit, bel-  
li vero, quod iamiam extinctum videbatur, incen-  
dium nunc etiam latius grassari coepit, vt, nisi al-  
terius partis exitio et internecione debellatum es-  
set, bellum finiri nullo modo posse videretur. Ve-  
rum a diuina prouidentia iamdudum belli exitus,  
omnium opinione etiam citerior, prouisus erat,  
dum primo PETRI III. sapientem insaniam  
Russorum imperio admoueret, qui discessione a so-  
ciis facta, horum animos frangeret, foedere vero cum  
inuicto Borussorum rege inito, et Suecis in eandem  
foederis societatem tractis, partem molis bellicae  
leuaret. Erceti tum primum omnium ad pacem a-  
nnui. Germaniae principes belli societatem, ac fer-  
vitutem potius, indignabantur; dannis suis vltro  
fusceptis nil nisi noua damna arcessita, clades suas  
& calamitates nullo ne vltionis quidem solatio leni-  
tas, prouincias impune et sociis inspectantibus di-  
reptas, ab his etiam multo magis vexatas et exinanitas,  
cum amicorum et sociorum aduentus in suas  
vrbes non multum ab hostili expugnatione differret,  
hibernis autem eorum ciuitates grauius, quam ho-  
stium incursionibus, affligerentur, tributa in alienam  
vtilitatem imperata, sui nullo tempore ne minimam  
quidem rationem habitam querebantur. Galli ipsi  
suis cladibus et iacturis iamiam labantem causam  
Austriacam porro sustinere palam dedignabantur.

C 3

Ita-

Itaque eodem anno inter Britannos et Gallos noua de pace consilia agitata, et a viris prudentissimis pacisque amantissimis, Duce Bedfordo Parisios, Duce Niuernensi Londinum missis, paucos intra menses, res feliciter confecta est. Qua quidem pace, si curatus et intentius eius vim et naturam considerabitis, nihil ad eius stabilitatem, duracionem ac perennitatem aut sapientius ac prudentius constitui, aut moderatius atque aequius temperari, nihil porro REGI ac populo glorioius, nihil etiam utilius cogitari potuisse, facile iudicabitis. Quibus quidem rebus, cum gaudia nostra de pacis bonis restitutis insigniter amplificari necesse sit, aliquantum in iis morari, atque eas mecum recognoscere ut benevolè sustineatis, ab ea, qua adhuc me audiistis, humanitate facile me impetraturum esse confido.

Cum itaque rerum humanarum nullus unquam certus et securus status sit, cum fortuna in operibus mortalium erret et caeco impetu feratur, & multa subita exoriantur, quae nulla sapientia prouideri possint, belli vero fortuna in primis fallax et lubrica sit, multo etiam magis in bellis maritimis; quam multa enim belli consilia cum physicis rationibus, in quas nullam vim habemus, coniuncta atque ex iis apta et suspensa! quam multa ex caeli mobilitate, tempestatum inopina vi, marium, naturis, ani-

malibus, fortunis, quibusq[ue] in aliis

ni conuerzionibus pendent! quam multa, ea que gra-  
 uissima, leuum cauſarum momentis impelluntur et  
 percelluntur! que itaque maior et ad humanae for-  
 tis conditionisque rationem conuenientior sapien-  
 tia, quam quae nihil fortunae tribuat, in ipso secun-  
 do rerum cursu ad littora iter dirigat, ut ne, quod  
 multis accidisse satis constat, cupiditatis procellis  
 ac fluctibus abrepti et transuersum acti, in alto depre-  
 hensi a turbine opprimatur, cum nullus iam rece-  
 tus pateat.<sup>10</sup> Iam, ut aduersae fortunae impetu cor-  
 ruunt vel maxime confirmata, optime fundata euel-  
 luntur, ita in secundarum rerum serenitate et tran-  
 quillitate maiori incolumitati et securitati facilli-  
 me prospicitur. Clades aliqua accipi poterat, tan-  
 to illa grauior et molestior, quo minus ad eam vila  
 remedia prouisa essent, tanto autem foedior et in-  
 dignior, quod tot tantisque triumphis successura  
 erat. Quod enim in rebus politis et ad nitorem le-  
 vigatis accidere videmus, ut minima in iis labes et  
 macula oculis iniuriam faciat, cum in asperis mate-  
 riali pinguiore naeuo multo minus offendamur; idem  
 in rebus p. et imperiis, magno et diurno victoria-  
 rum splendore omnium populorum oculos tenenti-  
 bus, euenire solet, ut, modo leuem aliquam calamiti-  
 tam accipient, multo grauiorem existimationis  
 famaeque iacturam faciant aliis.<sup>11</sup> Quid? quod nul-  
 la offensio periculosior, nulla calamitas pernicioſior,  
 quam quae, multum iam protracto bello, inflcta est,  
 cum saepe minima fortunae momenta pacis pactio-  
 nes



nes impulisse et inclinasse, earumque fructus et utilitates auertisse aut eripiisse viderimus, ut non modo omnia belli praemia, victoriae, triumphi, provinciae, manibus elaberentur, sed vicit olim populus bene secum agi crederet, modo pacis nulla a se praemia insuper essent persoluenda.

Sapienter itaque ac prudenter, cum magna etiam moderationis laude, in ipso fortunae cursu, pax accepta et inira est. Illud vero alterum maiorisne sapientiae an moderationis opus dicemus, quod tam aquas pacis conditiones scriptas vidimus? Nam cum omnino prudentes rerum humanarum praecipiant, usque rerum satis doceat, hostem, si ab eo metuere desinere velimus, aut plane prosterendum et euertendum, aut, quanta maxime fieri possit, lenitate et humanitate placandum et amicum reddendum esse; cum illud inhumanum et immancabile nostrorum vero imperiorum naturis impossibile sit; quid prudentius fieri potest, quam inimicos, qui, quanto iniquiore fortuna visi sunt, tanto acerbiores inimicities exercent, quorumque odia valde grauia et molesta nimium expertus fueris, ipsa pacis aequitatem et moderatione conciliare? Cum porro secundae fortunae constantia vrat aemulas nationes, et ipsos socios amicosque cruciet, ut neque integris rebus apud eos fidem, neque afflictis opem et auxilium inuenias, quid ad inuidiam communem extinguendam potentius, aut ad animos adiungendos

vti-

291

vitius quam moderatus fortunae usus? Cum vero, praeter eas res, quas futuris casibus et curis ut relinquamus conditionis humanae imbecillitas iubet, sapientia potissimum et moderatione firmitas et stabilitas pacis contineatur, sine qua nulla pax ne pacis quidem nomine digna habenda, quibus laudibus, quibus gratulationibus diuinam GEOR-  
GII III. et sapientem moderationem prosequendam esse putabimus?

Iam in ipsis pacis conditionibus ferendis, cum multa ab ambitione, multa ab auaritia, plurima a stultitia hominum suggererentur, quibus pax aut differri, aut plane intercipi, aut corrumpi potuisset, istud quam sapienter et ad pacis soliditatem ac perennitatem in primis accommodate factum, ut, cum Canada Gallis extorta, bellorum et dissidiorum ipsa semina tollerentur. Frustra foedera ineuntur, frustra iurisiurandi religione sanciuntur, si iis nos passionibus obligamus, quas ipsa rerum natura ini-  
quior, omni lege maior necessitas, physica situs ra-  
tio, securitatis et incolumentis respectus, magnorum commodorum aut amittendorum metus aut ab aliis praeripiendorum inuidentia, aut opulentorum praeiectorum certa spes cupiditati atque auaritiae obuersans, *impossibilis* quodammodo reddit. Quamdiu Galli Canadam tenerent, nullus neque Britannorum de Gallicis artibus querelis, suspi-  
**D** cioni-  
cipi



cionibus ac metui, neque Gallorum cupiditati et Louisianam cum Canada continuandi studiis exitus ac finis inueniebatur. Nulla Britannicarum coloniarum satis ruta securitas praestari poterat, cum eorum terga ab illis ob siderentur; Gallicarum vero coloniarum adeundarum tanta difficultas, ut non nisi incertum ac precarium accessum habere videbentur. Exclusae iam omnes futurorum odiorum et inimicitiarum caussae, oppressi et extinti bellorum fornites. Quia vna re instructa pax omnibus aequis felicitatis publicae arbitris se probare atque omnibus de terrarum orbe triumphis anteferenda videbri debet.

Sed eadem pax honesta, praeclara, gloriosa, magnifica. Quid enim? si omnium earum rerum, quae ad alicuius imperii ac populi nomen, famam, gloriam, pertinere possunt, rationem habitam demonstrauero, satisne, pacem hanc illustrissimam et gloriissimam esse, demonstrasse videbor? Non iam, quae ex ipsa illa sapientiae ac moderationis opinione auctoritas accedit, memorabo; quanquam eam ad pacis illustrationem grauissimi momenti esse certum haberi debet, ut vicissim pacis splendor et gloria sapientiae et prudentiae existimationem mirifice auget; sed, quae tandem recip. pars nominari potest, quae non hac pace sive confirmata et stabilita, sive amplificata et aucta, sive ornata et illustrata, videri debeat? maiestatem Britannici nominis

27

nis grauiter vindicatam, acriter defensam, nouo  
splendore illuminatam vultis? at Britanniae numen  
per omnem terrarum orbem sanctum, venerabile et  
augustum haberi videtis. Quis enim terrarum po-  
pulus Britanniam, oceani dominam, continentis  
sequestrem atque arbitram, non aut colit, reuere-  
tur, veneratur, aut amicam sibi et sociam expedit  
et deineretur, aut, fremat licet, metuit tamen eiusque  
fulmen exhorrescit? Fines imperii prolatos dicitis?  
Tot Americae insulas imperio Britannico adiectas,  
Africæ littora, flumen Senegae cum emporiis, a-  
pud vos nominare necesse est? aut Canadam, Flo-  
ridam, omnemque Americam septentrionalem, Bri-  
tannicae ditionis factam commemorare? vt, si hac  
parte, qua tenuis imperii fines progrediantur, quae-  
ratis, Americae et terrarum orbis fines ante omnia  
reperiendi et constituendi sint. Sed imperii populi-  
que opes auctas, aduerfariorum vero fractas et debili-  
tatas audire cupitis. Recte vero; qui enim illud ad  
votorum etiam cumulum contigisse dubitemus, po-  
puli regisque maiestate defensa, finibus propagatis,  
et eiusmodi provincijs adiectis, quae ad reip. etrei  
maritimæ robur, naualem gloriam, coloniarum in-  
columitatem et maiorem auctum, mercaturaे salu-  
bria incrementa, nauigationis artem et disciplinam,  
quod qidem mox videbimus, insignem utilitatem  
et opportunitatem habent? Gallorum vero rem  
naualem non modo afflictam et affectam, sed pro-  
stratum

D. 3

stratam et extintam vidimus, vt, cum a pacis inde temporibus, reficiendis classibus animos intendant, e ruinis eam excitare aut e naufragio tabulas colligere videantur. Et in Europa quidem iam antea Magni Gulielmi et Georgiorum armis valde accisam rem Gallorum maritimam accepimus; in America vero tantam eius stragam vñquam factam esse non meminimus. Magna itaque reip. Americanae immutatio facta, cuius ad grandem hanc Europae imperiorum compagem magnum momentum non esse nequit. Illud vero vastum et ingens totius ferre Europae foedus, omnium non modo libertati sed et saluti imminens, quanquam illud aetum ferre non poterat, et, vt vi ac mole sua rueret, necesse erat, ante tamen quam tanta eius mole vastoque impulsu, ii, qui petebantur, prostrati et obfriti essent aut villa inde auctoribus utilitas, sed certum potius damnum, accessisset, aut solutum aut concussum et percussum est. Galli porro spe sua falsi, dum Britanniam, nisi in Germania, tuto lacefisi, aut grauiter vulnerari ac confodi non posse putabant, sibi vero maiorem inde inter Germanos auctoritatem esse accessuram sperabant. Multo magis vero Austriacorum artes et consilia, praeclara quidem illa et magnifica ac diuina ingenii vi excoigitata, vt nihil iis deesse videretur, quam vt exequentium studia, prudentia et consensus accederet, incredibili rerum euentu confusa, perturbata, euersa; ambitione et cupiditas, et prouincias necessitate quidem

ex

expressas, foederis tamen religione traditas, bello  
repetendi compressus ardor; ingrati autem erga Bri-  
tanniam et Georgios, quibus, quicquid est, Au-  
stria debet, quibus ipsum hoc debet, quod antiquum  
generis fastum retinet, ingrati huius animi tan-  
ta iniuria, aeternum Austriae opprobrium, si morum  
disciplina ad reges valerer! graui vltione vindicata;  
cum tantorum beneficiorum, meritorum et orna-  
mentorum, ipsiusque incolumitatis, salutis ac di-  
gnitatis per Britannos redemptae et recuperatae non  
modo immemor esset, verum etiam salutis suae au-  
toribus atque adiutoribus, Britannis Hannouera-  
nisque, insidias, iniurias, exitium strueret. Iam  
sociorum atque amicorum causam nunquam acrius  
et generosius defensam fuisse meminimus. Lusita-  
ni quidem, qui a Britannis destituti, Hispanorum  
dominationem ac iugum haud dubie subiis-  
sent, quibus studiis, quibus opibus, defensi  
et in libertatem vindicati sunt! Borussorum vero  
rex, in quem, tanquam agmine facto, tot et tanta  
imperia irruerant, ut iam ab ipsis belli initiis op-  
pressus videretur, Britanniae opibus defensus, et,  
belli maiore impetu ab eius finibus auerso et depul-  
so, ita adiutus et leuatus est, ut diuini ingenii sui,  
virtutis et artis, usum fructumque liberum haberet.  
Quid nostras prouincias et terras Hannoueranas di-  
cam, cum iam in Gallorum potestate esse coepis-  
sent, fortiter liberatas et per omne inde tempus  
hostes aut a finibus reiectos aut in extremis finibus

ingredi

D 3

co-

❧ ❧ ❧

cohibitos? Hassi vero et Brunsylicenses reliquique  
focii non modo omnes terras agrosque recuperarunt,  
verum et ipsa castellarum munimenta et ornamen-  
ta receperunt, ut iam Britannici nominis auctorita-  
tas inter Germanos non modo integra et incolmis  
sed et maior ampliorque sit; ut Imperii principes et  
respublicae, Protestantium maxime societatis, cum  
Britanniae salute et dignitate suam omnium salutem  
certissime coniunctam esse existimant, in Britanniae  
vero opibus, fide et religione tantam fiduciam ha-  
beant, eiusque praesidio Protestantium causam ita  
firmatam et fundatam putent, ut de intentata illa,  
et tot artibus, tot insidiis, tot contumeliis petita  
dominatione nihil amplius metuendum esse, sibi  
persuadeant.

Gloriosiorem itaque et illustriorem, hac nostra,  
pacem nullam ne cogitari quidem aut optari posse  
videtis. Videamus tandem de utilitate. Tametsi  
vero ea ex ipsa honestate eius et gloria, opum et  
potentiae incremento, prudentiae et sapientiae fru-  
ctu, moderationis et aequitatis laude, stabilitatis  
et soliditatis vi, apta et connexa sit, cum neque ve-  
ra utilitas sine illis esse neque illa huius fructu care-  
re possint, sunt tamen innumera in hac pace bona,  
quae ad opes et copias maritimas amplificandas; et  
ad nauigationis mercaturaueque utilitates pertinent,  
ut, si, omissis ceteris omnibus, hoc unum mihi  
sumsille, et orationis meae sedem in eo posuisse,

magni-

magnificam omnium de pacis natura existimationem  
me comparaturum fuisse nullus dubitem.

Coloniarum Americanarum ad opes et robur  
Britannici imperii satis constat tantam vim et utili-  
tatem et esse et haberi, ut istarum possessionum et  
agrorum non minor, quam ipsius Britanniae, ratio  
habenda existimetur; cum huius quidem in Europa  
auctoritas, maiestas et opulentia, isto America-  
narum opum solo quodam ac fundamento niti vi-  
deatur, quo deiecta aut labefactata etiam Europae-  
um hoc potentiae fastigium nutare et corruere ne-  
cessere sit. Quamobrem istarum prouinciarum, non  
amissarum iactura aut ignominia, sed amittendarum  
metus, et de earum incolumitate et securitate folli-  
cito, satis grauis cauila habita est, cur vel certis-  
fima belli damna suscipere non defugiendum esset.  
Quamdiu enim Galli earum coloniarum et prouin-  
ciarum terga, ac ceruices potius, obsidebant, flumi-  
na, lacus, vada, claustra, omnes belli pacisque op-  
portunitates, tenebant; tamdiu anceps earum et  
dubia fors, castellorum ac praesidiorum incerta con-  
ditio, omnium hominum ac rerum seruitus verius  
atque obnoxia plane fortuna, commercia cum In-  
dis precaria et, ad Gallorum libidinem, modo inter-  
cepta modo interclusa non esse non poterant.  
Praeclarae itaque ac diuinae prorsus sapientiae ex-  
emplum ad omnem posteritatem habitum iri, recte  
putabimus, quod in pacis foedere istarum colonia-  
rum



rum incolumitati ac securitati, quae omnibus belli  
 praemiis, omnibus prouinciis, anteferenda erat,  
 prospectum, et, cum Britannici imperii in Europa  
 robur cum ea coniunctissimum sit, etiam huius in-  
 sulae opibus atque ornamentis amplissime cautum  
 et prouisum est; ex prouinciis vero Gallicis non o-  
 pinnae quidem illae, propter corporum tamen corru-  
 ptelas luxusque caussas et instrumenta deprecandae  
 potius quam optandae Insulae, sed Canada potissi-  
 muni et continentis prouinciae ditioni Britannicae  
 vindicatae sunt. Sibi iam arant, sibi serunt et me-  
 tunt coloni; nauigant flumina, quae volunt, lacus-  
 que mercatores, cum mercibus atque oneribus in  
 ultimas oras commeant, et libera cum Indis commer-  
 cia exercent. Securitatem autem atque incolumitatem  
 eam comparatam esse videmus, quae non ca-  
 stellis et praesidiis sumtuose instruendis, retineatur,  
 nec classibus et exercitibus, graui cum impensa tan-  
 toque difficilius in statione habendis, quod ciuitatum  
 et rerump. Americae nimis varia et diuersa na-  
 tura est, cum non vna reip. formula constitutae sint,  
 atque aliae populari reip. genere vtantur, aliae re-  
 giis praefectis pareant, vniuersae vero a belli ratio-  
 nibus et artibus alienissimae sint, sed ipsa naturae  
 tutela situsque ratione ea securitas praeflatur; cum  
 omnis a tergo vis aliena imminens summota, Aca-  
 dia vero atque Britonum caput, insula, quae in  
 molis atque aggeris speciem Canadæ obiecta est,  
 in Britannorum potestatem redacta, ab altera parte  
 Hispaniæ

Hispanorum contigui fines remoti, et cum Gallis  
 communis usui habendum flumen Mississippium  
 pro finibus directum sit; ut non hominum  
 prudentia et consilio isti fines inuenti, sed  
 ipsius naturae beneficio prouisi et ab ea descripti  
 videri debeant. Habent autem eius modi limites  
 eam laudem, vt omnibus aliis arte hominum con-  
 stitutis tutiores et vinci sint, quibus confidere tuto  
 liceat. Non iam verendum, ne Galli Louisianam  
 cum Canada, Mississippium cum S. Laurentii flumi-  
 ne, tot vastorum lacuum fluuiorumque interiectu,  
 continent, vtrosque limites coniungant, et ca-  
 stellorum passim extreectorum tanquam compedibus  
 Britannicas colonias contineant; non illi iam Bri-  
 tannos ab Ohii formosissimis atque amoenissimis riuis,  
 et a tot magnorum lacuum, quibus interior Amer-  
 ica non tam scinditur quam ad commerciorum vi-  
 litates coniungitur, nauigatione prohibebunt; non  
 a Virginiae praestantissima parte excludent, eiusne  
 cultum impedient; non finium versus Occidentem et  
 Mississippium explicationem retardabunt; non Indor-  
 um validas et numerosas gentes corruptent, cumque  
 earum siue in bello damna, siue in pace beneficia tan-  
 ta sint, vt earum societas ad imperium in his terris  
 bellique fortunam plurimum valeat, cum, nisi Indorum  
 armis et insidiis, Indi, qui bella pro venationis genere  
 habere videntur, non facile vinci possint, non ita-  
 que eas iam blanditiarum suarum delinimentiis sua-  
 rumque artium praeftigiis in partes suas adducent,  
 aut opibus et auctoritate continebunt, a Britanno-

E

rum

rum vero commerciis et societate retinebunt, hos  
 ue ab eorum aditu et congressu, foris nundinis-  
 que, arcebunt. Nunc non temeraria et vana spes  
 animis concipi videtur, fore, vt istarum gentium a-  
 nimi Britannis in perpetuum adiungantur, earumque  
 robur Britanni imperii viribus accedat; modo, vt  
 Indorum natio beneficiorum aequa atque iniuria-  
 rum tenaciter memor est, iustos, beniuolos et hu-  
 manos Britannios experiantur, nec auaritia et frau-  
 de mercatorum ac colonorum se circumuentos, ter-  
 ris et agris suis nefanda vi deiecos, aut prauis et  
 immanibus artibus oppreslos sentiant, in quibus  
 Europaei mirum quantum sibi placent, vt factio-  
 num inter se studiis eos distineant, discordiam et  
 mutua odia alant, et, ne in commune consulat gens  
 fortissima et validissima, sedulo cauendum sibi exi-  
 stiment. Quibus artibus sinistris et foedis si quan-  
 do meliores succederint, vt nostra beneficia, non  
 maleficia, non fraudes et contumelias, meminerint,  
 vt ad humaniorem vitae cultum adducti, in magnos  
 coetus et ciuitates bonis legibus firmatas coierint, et,  
 suae ferociae ac licentiae naturalis bonis amissis, non  
 nostra mala sine bonis nostris, sed virtutes nostras  
 sine nostris vitii acceperint; quibus quidem rebus  
 iam hactenus prouisum est, vt Regio confilio ac libera-  
 litate Philadelphiae et Noui Yorkii nouae Indis scho-  
 lae aperiantur; quam ampla cum iis commercia;  
 intercedent! quanta eorum limitum ac prouincia-  
 rum securitas pacisque perpetuitas expectanda! Nunc  
 in Indorum fide, obsequio, amore, beneficiorum  
 acce-

acceptorum memoria, quam praeclarum Britannicae rei praesidium paratum erit! quantae laudi populo libertatis amantissimo habebitur, eiusdem libertatis usum non aliis gentibus eruptum, sed sapienter temperatum, stabilitum et firmatum esse! Memorabunt illi nepotibus et ad posteritatem omnem tradent, unde cultum vitae meliorem, leges, instituta, mores, acceperint. Habebunt illi suos Orpheos, Silenos, Bacchos, Hercules; celebrabunt suos Yncas, gentis conditores ac parentes. Europam non ad perniciem suam in Americanam effusam, sed ad salutem et felicitatem traicetam arbitrabuntur.

Praeclarae porro Britannis ex harum prouinciarum accessione utilitates accedere putandae sunt, quod omnibus ceteris transmarinis coloniis maxima inde securitas et incolumenta parta est, et quod Gallis omnibus istis vtilitatibus et opportunitatibus carendum est; cum, quicquid aemulo nostrarum opum imperio decadat, illud nostris opibus accrescisse habendum sit. Non autem, si Gallis Americae imperium tenere contigisset, eorum vis et robur neque in America neque in Europa sustinendum ulterius fuisset, sed certissima omnibus seruitus servienda erat. Verum sunt praeterea innumerae aliae eaeque insignes vtilitates et opportunitates, ad omnem rem transmarinam publicam priuaramque, quibus prouinciae istae ditionis Britannicae factae se commendent; magnus coloniarum municipiorumque numerus, magnorum fluuiorum lacuum-

E 2

que



que commercia, multi et boni ad colonias deducen-  
das agri, magnae ad nauigationem commodiitates,  
magna mercaturae praemia, vi cum iis prouincia-  
rum finibus partim prolatis partim firmatis noua-  
quasi rei maritimae fundamenta inter Britannos ia-  
cta esse videantur. Non enim, quod quidem ha-  
rum rerum incuriosi existimare possint, coloniarum  
fedibus exoptandae aut nauigationi vtile eae terrae,  
eae insulae habendae sunt, quae felici et copioso-  
rerum ad luxum aut ostentationem facientium pro-  
ventu, aut auri argenteique metallis se commen-  
dant, quarum inter rerum copias et diuitias, omnium  
rerum utilium inopia laborare nonnullos popu-  
los videmus, sed eae terrae ad cultum et rei mari-  
timae maius robur opportuna et validae habentur,  
quae rerum utilium et ad vitae praefidium ac fru-  
ctum necessiarum prouentum aut magnum habent  
aut benignum cultoribus pollicentur, quae multa  
industriae irritamenta, multas ingenii acuendi op-  
portunitates, multam ad artes et opificia materiem,  
multa operum instrumenta, magnam tandem earum  
rerum copiam ferunt, quarum etiam in Europalau-  
datur utilitas, expetitur fructus et vecturae pretium  
redimi putatur. Huiuscemodi coloniae tum inco-  
larum numero et opibus magnam in se vim habent,  
et in magnum rerum, robur inualescere possunt,  
tum conditoribus suis, qui suas rationes et copias  
in eas conferunt, et negotia mercaturamque in iis  
exercent, maximas vtilitates, exportandis et inue-  
hendis mercibus, afferunt. Habet autem Cana-  
*sup* dia,

da, omninoque America septentrionalis egregias  
opportunitates et prae ceteris terris praecclara adiu-  
menta ad colonias deducendas. Nam caeli salubri-  
tas ipsaque aeris asperitas et iniuria cum ea aeris  
temperie, cui Europaeorum hominum corpora ad-  
sueta sunt, inprimis congruit, et omnino corpori-  
bus roborandis et firmandis, generandaeque nu-  
merosae soboli, animis autem audacia firmandis, in-  
seruit; quemadmodum omnes fere antiquitatis victo-  
res populos e septentrionis aut temperati certe cae-  
li plagiis, prorupisse meminimus. Qua quidem re In-  
sularum Americanarum multo minus probanda na-  
tura est, cum Europaeorum corpora calore nimio et  
luxu frangant, procreandae proli obsint, et imma-  
nus illius et detestandi moris, venalitiorum familias  
ex Africæ littoribus aduehendi, necessitatem fa-  
ciant. <sup>3</sup> Futuris itaque casibus bellique timoribus  
quid impedit, quo minus in ipsis Americae terris  
exercitus conscribantur, vt ne tantis cum impensis  
et difficultatibus ex Europa arcessendi ii sint. Sed  
iisdem coloniarum incrementis omnium rerum fre-  
quentiora commercia, maiores copiae, existant nec-  
esse est. Aduehent eo Britanni suarum artium et  
opificiorum opera et instrumenta, suorum agrorum  
fructus et prouentus. Alent et vestient suos colo-  
nos, suos Indos. Quae vna res, vt America vesti-  
tum suum ab Britannis petat, omnibus in Europa  
victoriis antehabenda est. At quot quantasque res  
ac merces siue a natura oblatas siue ab arte elabora-  
tas coloniae istae conditoribus suis ad exportatio-

E 3

nem

nem suppeditabunt! Habent ea<sup>e</sup> terrae lauta et egregia pascua, frugum et leguminum varietati idoneum solum caelumque.<sup>100</sup> In primis vero ex veneratione et piscatione, quae prima melioris et a ferina natura discedentis vitae initia sunt, maximae utilitates redeunt. Abundant enim siluae feris ob pellium bonitatem expetendis, non propter saevitiam et rabiem expauescendis; nam et maligna ista, noxia, immanisque ferarum natura meridianis terris relicta est. Magna vero pellium sive fetis ac villis hirsutarum, sive pilorum mollitie et lana commendabilem, magna coriorum, ac tergorum commercia. Accedunt lutrarum et castorum utilitates. Iam piscationis, et si in omnibus iis maribus, lacubus, fluuiis ea lucrofissima sit, haberi tamen sedem ac regnum potissimum in Nouae Scotiae, Terrae nouae et Capitis Britonum littoribus, syribus ac vadis marium fatis constat, ut hac de causa haec vna insula omnibus Peruanis metallis anteferenda esse censetur. Plena sunt ea maria et fluminis S. Laurentii ostia utilissimo, et Europaeorum desideriis tantopere expetito, pisce, asello, merlucium et cabellianum nostri homines appellant; plena sunt balaeinis, pistricibus omnique belluarum genere; neque halecibus carent. Et quanquam Gallis in iisdem maribus pescandi libertas concessa est, non tamen illa villam imperii vim aut potestatem adiungetur habet. Magnam vero ad piscationis commoda vim habet, ut idoneae ac tutae ad pisces colligendos, siccandos et condiendos littorum arenae sint; opportunio-

mora

21

tuniores autem, quam Britanni habent, ne optari quidem possunt. Atque hic non postremo loco memoranda venit illa pacis lex, qua Hispani omni suo iure decedunt, quod in eius piscationis societatem, littorumque communitatem sibi satis speciose arrogauerant. Nimurum sentiebant homines non obtusi ingenii, cum piscium apud se tum religiosis tum aliis de causis frequens elus sit, si suorum hominum opera piscationem facerent, magnam inde ad se utilitatem peruenturam esse; quae nunc, cum magno eorum detimento, Britannis tradita est. Sed ut ex pescatione magnuni quidem lucrum percipitur, illa tamen eius multo maior utilitas habetur, quod multis et fortis homines alit, et multo magis exercendis et maris periculis laboribusque adsuescendis sociis naualibus praecclare inseruit, ut in eo tirocinii rudimenta deponere rebusque maioribus disciplina maritima initiari videantur. Quo maiore itaque hominum celebritate pescatio frequentatur, tanto maior nauigiorum, et nauticorum hominuum, numerus, tanto melior disciplina naualis, ministeria nauium expeditiora, totius rei maritima maius robur, omninoque imperii Britannici maior vis et firmitas. Non iam illud memoro: prouincias illas ad naues aedificandas, instruendas, ornandasque egregia praesidia et auxilia habere; silvas ingentes, materiem multam nec contemnendam; quicquid vero ad apparatum naualem pertineat, aut naturae beneficio in promitu esse, aut colonorum arte et industria facile parari posse.  
ad Cernent itaque barbari et mirabun-

1101

mirabuntur silvas suas fluctibus innatare, classes ornatis-  
simas ex suis oris in mare deduci, et suis se nauibus  
suos dominos ex Europa transretare indignabuntur.  
Quibus omnium rerum copiis et transmarinae o-  
mnisque maritimae rei incrementis ex Americae se-  
ptentrionalis imperio auctae Britanniae Magnae  
quantam maiestatem, quantas opes inter cultiores  
quoque hos Europae populos futuras esse putabi-  
mus!

Sed ad istas Septentrionis partes Florida acce-  
dit; quantum belli praemium! quam opima praeda!  
Non iam littus portosum, stationem sinumque  
Pensacolam, Castellum S. Augustini, agri naturam,  
frumenti copiam, pastionis magnitudinem, metallis  
et mineris grauidum solum, silvas cedris palmis-  
que densas, ambrae cineritiae eluuiem, non homi-  
num corpora valida et procera, non cultum memo-  
ro, qui, Britannorum opera et industria, terris ac-  
cedere potest; non enim terra cultoribus, sed ter-  
rae cultores defuere; sed unum illud ad laudem illi-  
us prouinciae satis abundeque facit, quod ea Bri-  
tannicarum prouinciarum quasi consummatio aliqua,  
et contiguarum terrarum in unam magnam molem  
consolidatarum fastigium est, adeoque illarum ol-  
pes roburque amplificat, siuum vero inde auget. Hi-  
spanorum autem molestior vicinitas et confinia sub-  
lata Virginiae et Georgiae finibus maiorem securi-  
tatem comparant. Ad insularum vero siue tutelam  
et praesidium, siue in eas incursionses et impetus,  
opportunitates Florida habet egregias; et Hispano-  
rum

¶ ¶ ¶

rum prouinciae non nisi ab hac regione patent.  
Nam cum ceteri earum fines immensis mariibus,  
ipsa viae longinquitate, intolerabili calore caelique  
natura, tuti sint, vnuus ad eas hostium classibus in  
finu Mexicano aditus parari potest. Iam sinuus ille  
patesfactus est classibus Britannicis; imminent enim  
ab hac parte, Hauannae maxime obuersa, Floridae  
littora. Quod si itaque pacis foederunq[ue] firma-  
mentum metus sit, ne grauem eum inimicum ex-  
periaris, quem iucundum et vtilem amicum habe-  
re possis, Hispanorum certe cum Britannis pactio  
soliditatem et perpetuitatem habere debet. Habent  
tamen illi causas amicitiae retinendae alias pluri-  
mas et grauiores et honestiores, inter quas commu-  
nis vtilitatis ratio et a natura quasi ipsa iussa inter  
eos et coniuncta societas magnum momentum ha-  
bere existimanda est.

Quantae Septentrionis commoditates et oppor-  
tunitates, tum ad suas opes augendas, tum ad opes  
copiasque Britanniae magnae amplificandas, sint,  
adhuc demonstrauimus. Quid vero? an minus  
praeclaras opportunitates ad insulas infra ipsum po-  
sitatis habere eum affirmabimus? Enimuero et ipsa situs  
caelique ratione insulis ille imminet, vt a natura ad  
earum dominium et imperium destinatus esse videa-  
tur, et classes, tum ad earum praesidium et auxi-  
lium missae, tum cum venalitiis et mercibus ad eas  
profectae, in eius portibus receptum tutum habent,

F

et,

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

et, quae omnino ad tutandas eas aut infestandas va-  
lent, ex Septentrionis vicinia facile peti et suppedita-  
ri possunt. ad Belli enim tempore in primis grauis  
et terribilis Septentrio ipsis insulis esse potest, cum,  
si ipse classibus et copiis instructus sit, classibus ini-  
micorum et commeatibus intercipiendis, aut ad a-  
ditus speculandos et obсидendos, tanquam in statio-  
ne positus sit. Cui itaque non illud in animum o-  
culosque incurrit, Insularum opes et securitatem,  
quae per se exigua aut nulla est, in coniuncto cum  
iis Septentrionis imperio sitam esse, Septentrionem  
autem ad opes suas amplificandas et corroborandas  
non parum auxili ac praesidii ab Insulis mutuari;  
utriusque vero imperii coniunctionem atque con-  
nubium reip. Britannicae insigne firmamentum at-  
que robur, non contemneandam dotem, afferre.  
Sunt enim magna et frequentia negotia multarum  
que rerum commercia inter Septentrionem et In-  
sulas, cum ille, quaecumque ad victum, vestitum  
vitaeque usum pertinent, quarum rerum utilium et  
necessiarum copiis meridiana fere imperia carent,  
omnia tere suppeditet, et plurimas inde vitae iucun-  
ditates et voluptates exportet; ut adeo in orbem  
redire et circumagere se videri possint huius orbis  
commercialia, quo quidem circuitu rei maritimae  
summa contineri creditur. Accedunt insuper Afri-  
icana commercia, quibus tum alia, tum serui Afri,  
in has insularum colonias deportantur.

In-

43

Insularum itaque possessiones et agri, in primis  
si, Septentrionis praesidio et tutela, a nullis exter-  
nis periculis sibi timeant, magnae praestantiae, ma-  
gnarum opum et diuitiarum, magnae fertilitatis et  
funt et habentur, ut, quicquid Africæ et Indiae sa-  
bulosi et vicino sole cocti agri peregrinae frugis aut  
mercis producant, id omne colonorum opera et in-  
dustria hic proueniat. In primis vero sacchari, et  
quaecunque sue ex eo parantur, siue eo nomine  
vulgo comprehenduntur, quod quidem commer-  
ciorum genus latissime patet, eorum insulae eae  
tanquam penis et cella habentur. Quia in commer-  
ciorum parte, quae valde lucrosa habetur, cum ex  
certo inde tempore Britannorum mercatus Gallico  
inferior fuerit, cum hi coloniarum suarum siue nu-  
mero et cultu, siue vegetigalium indulgentia, siue  
aliis de causis maiorem earum rerum copiam mino-  
re impensa paratam haberent et, viliore quamvis  
annonæ, bene tamen venderent; nunc, Grenadæ,  
iam copiosis et lautis colonorum possessionibus in-  
structæ insulae, et Grenadillarum accessione, earum  
que, quas adhuc neutrius populi possessione tene-  
ri, sed communibus nauigantium viribus relinquí  
conuenerat, S. Dominici, Tabacii, S. Vincentii,  
nondum diuturno cultu viribus exhausti soli, insulae  
rum adiectione, eo peruenturos esse Britannos spe-  
rare possumus, ut non minore annonæ vilitate re-  
ste vendere possint, sibique adeo pristinum hoc  
suum forum iterum vindicent. Quod si eae insu-  
lae

lac coloniis satis frequentatae cultaeque fuerint, magna inde etiam ad reliquarum insularum, ipsiusque Septentrionis aequae ac Britanniae, opes et copias incrementa accessura, atque illud futurum esse credamus, vt Britanni aliquando Gallorum in his maribus opes et copias non modo aequent, sed etiam vincant.

Ne summa quidem votorum impudentia a Britannis maiora, quam obtinuere, pacis in America emolumenta expeti potuisse, satis a me declaratum esse arbitror. Necdum tamen aliquid neque de Mississippi, communis nauigandi usui relicto, neque de plena et amplissima libertate ac facultate materiem et ligna, incendiis lanis utilia, in littoribus Hispanicae ditionis caedendi et in sinu Mexicano nauigandi memorau. In Asia vero, etiam si nihil aliud actum esset, quam ut res ad pristinam faciem ac conditionem redirent, vel sic tamen rerum gestarum gloria et fortuna res Britannica superior foret Gallis tot cladibus et calamitatibus adflictiis. Verum accessit et his in terris praeclarorum opum Britannicarum incrementum ea stipulatione, qua Galli sibi ipsis interdixerunt, ne cum imperio in Bengalae finibus sint, neu ullo munimenti genere tantur; qua re quis Gallorum potentiam auctoritatemque imminutam, Britannorum vero causam in his finibus Gangisque aditu superiorem redditam non putet? et, cum sociorum causam etiam hoc in

in terrarum orbe tam egregie tutati sint Britanni,  
vt pacis legibus etiam Gallorum odia et iras ab iis  
depulsauerint, quanta fides et auctoritas Britannici  
nominis in tota Asia esse putanda est!

Sed reuocat me Africa, in qua nolite existimare, A A. parui pretii esse illud belli praemium,  
quod flumen Senega cum castello atque emporio  
S. Ludouici, in ipsis ostiis, arenarum obiectu m  
nito, aliisque in interiore regione ditioni Britanniae  
accessit. Habent enim haec Africæ littora magnas  
nauibus ex longa nauigatione fessis recreandis  
opportunitates, magnas etiam Europæ Asiaeque  
mercium vendendarum permutandarumque facultates,  
et, quod primo loco dicendum erat, tenent principatum, inter omnia huius tractus emporia,  
venalitiorum Afrorum, quibus coloniae Indicæ  
instrui solent, et rerum pretiosarum, quae ex Libyae  
oris petuntur, commerciis. Cum enim flumen  
illud vastum, et in ipsa Africa, quae magnis fluuiis  
nobilis habetur, longe maximum, valde longinquo  
cursu ex interiore Africa descendat, vt  
et fontes eius a nostris hominibus ignorentur,  
in eius extremitate vero ad celebratum illud  
Mandingorum sermonibus emporium Tombutum  
perueniri posse credatur, cumque multa barbarorum  
regna alluat, præclaras ad auri, eborisque,  
succini orientalis, gossypii, cerae, seruorum Afrogum  
commercia, utilitates et commoditates habet.

Gummis

COLLEGI

Gummis vero nobilissimae, tot artium opificiorumque operibus, sericis in primis, utilissimae, medicorum etiam auctoritate commendatae, quam ad nostra usque tempora a Gallis emitam Britannis Battui vendebant, tantum non monopolium exercet. Est enim in confiniis desertum, a quo acaciarum nemora non longe absunt, unde collectum illum sudantium corticuni succum Arabes vicini eo, tanquam ad sollempne forunu, apportant. Decurrit praeterea in idem mare paucis interiectis regnis Gambræ, Britannorum commerciis frequentatus fluuius, in quorum quasi medio Gorea insula, Viridi Promontorio subiecta, Gallorum commercia coarctat, ut Britannorum commutatus in omnibus istis regionibus unus liberrimus sit.

Verum orationem meam ultra iustos terminos excurrere, sentio, A. A. quanquam id non meo vitio, sed rerum virtute et praestantia fieri videris. Atqui quot et quam præclara huius foederis capita nondum ne attigi quidem. Nihil de Dunkerke munitionibus dixi, nihil de Noui Portus et Ostendæ restitutione, de Minorca, nauigationis in mari mediterraneo praesidio, Galliac vero ab hac parte imminente propugnaculo, nihil de tantis utilitatibus, quae, ex fidei et opera Lusitanorum saluti in tantum periculum ac discrimen adductæ nauata, ad amplificanda et stabilienda Britannorum in finibus eorum

Gummis

eorum commercia redundaturae sunt; nihil de exportatione mercium Britannicarum in Germaniam, quae, nisi Britanniae inter Germanos magna auctoritas sit, inter aemulorum in primis Gallorum studia, nulla esse potest, et, qua si priuarentur Britanni, frustra tantarum rerum copias pararent, cum eas aliis vendendi et subministrandi nulla facultas esset; ut ita adeo nihil vidisse existimandi sint, qui de nimisarta Britanniae cum Germanis societate et foedere querebantur. Nam si et belli utilitatem et pacis dignitatem, ac vtriusque sive auxilia sive ornamenta tuenda sibi arbitrantur Britanni, non modo a dominatione, sed etiam a metu dominationis Germania est defendenda. Quot mihi igitur et quam praeclarae res omittendae sunt, quas multorum pacis foederum valde celebrum totam vim et naturam constitutere vidimus, ut alii pacis laudatores praeclare secum agi putaturi fuissent, si iis laudibus vti licuisset, quae nobis, summa rerum copia oppressis et obrutis, seponendae sunt. Neque tamen ea, quae adhuc dixi, operose mihi fuerunt ornanda; simpliciter commemoranda esse duxi, cum per se satis valere viderentur ad animos Vestros tenendos et laetitiae gratulationisque nostrae voluptatem amplificandam. Quid vero? ea ne, quae histeris et prouinciis huicque ipsi vrbi vti propiora fuere, ita grauiora forte videri possunt, plane silencio praetermittemus? At enim nostra ne ego mala longa oratione recensem, aut vulnera reficem,

vt



vt praesentium bonorum sensum gustumque excitem aut acuam? Minime vero; gaudia nostra, praeter sincerum et perpetuum eorum honorum fructum, quod addi possit, nihil habent. Gaudemus, laetamur ex animo, et Deo immortali, summo pacis bellique arbitro, gratias agimus, qui rerum euentus et casus ita administravit, humanae prudentiae consilia aut sapientiae artes fraudesque ita siue rexit siue turbauit et elusit, REGEM vero Britanicae rei eum praefecit, quem, summis iuuentae decoribus florentissimum, maturioris aei prudentia, moderatione pacisque amore ita imbuerat, vt, post tantas calamitates, maiorumque etiam metus, cum tanta REGIS nostri INVICTI gloria, et cum tanta nostrae reip. nostrae vrbis et academiae incolumente, pax redderetur. Iucundo et grato pietas cum sensu adoramus purpuram, laudumque nostrarum tenuitate venerabundi praedicamus maiestatem, beneficentiam, humanitatem moderationemque REGIS nostri, quarum tantarum virtutum beneficio pacis tam praeclarae non solum bona, sed et horum bonorum perpetuitas et perennitas pars est. Consecramus atque dedicamus nos, liberos nepotesque nostros et, quaecunque in tantae felicitatis fructum duratura est, progeniem REGI Optimi iisque omnibus, quos siue educat siue educaturus est. Immortale illud Numen, boni aequinalique aeternus et integerrimus vindex, quod tanta in genus humanum merita et sanctissimae mentis

2

tis beneficia suis praemii carere non pati potest,  
 conseruet R E G I nostro gaudia sua, hoc est,  
 regnorum suorum, prouinciarum ac ciuium felici-  
 tatem; REGINAMque, nouo puerperio felicem  
 ac fortunatam, omnesque nos confirmata duratu-  
 rae ad nepotes felicitatis spe fortunantem cum PRO-  
 LE REGIA, omni felicitatis genere cumulet, in-  
 primisque domesticis illis gaudiis, quae fere a regiis  
 liminibus excludi nec facile intra regum palatia ad-  
 mitti solent. REGIA DOMVS, et quicquid  
 SANGVINIS GVELFICI cognatione et affinita-  
 te nobilitatur, vt virtute, ita virtutum fructu, et  
 felicitate illa, quae huius stirpis propria est, floreat.  
 SANCTIORIS vero CONSILII participes, no-  
 strae felicitatis autores et statores, omnium eorum  
 bonorum amplissimum et constantem fructum ex-  
 periantur, quorum copia res nostras amplificauer-  
 runt et locupletarunt; et TV, MVNCHHVSI,  
 quem cum omnes sibi hae terrae, ac tota litterarum  
 disciplinarumque communitas, tanquam salutis suae  
 auctorem ac defensorem vindicet, nostrum ta-  
 men, tanquam proprio quodam nomine, appella-  
 mus, cuius, quod nunquam sperari poterat, cre-  
 di vix potest, summa sollicitudine et prudentia ef-  
 fectum est, vt inter ipsas belli calamitates et diffi-  
 cultates pacis bonis Academia nostra tantum non  
 integris frueretur, TV, inquam, ILLVSTRIS-  
 SIME MVNCHHVSI, si nostra vota valent, vir-  
 tutis et sapientiae TVAE fructum feres etiam hac in

G

vita



vita mortali amplissimum, nam pleniorum et digniorum, nisi diuorunt et immortalium animorum, vita nulla Tibi reddere potest. Nostra autem res patrum doctorumque consiliis, virtutibus et tranquillitatis fructibus, ciuium vero ingenii studiisque florentissimorum frequentia, in perpetuum floreat, iisque omnibus rebus abundet, quibus cumulatam eam REGIS liberalitas, Curatoris cura paterna, esse cupiunt. Urbis vero, siue rerum ad virae usum fructumque utilium affluentia annonaeque copia ac facilitate, siue ingeniorum et industriae ampliore in dies laude, incrementa tanta sint, ut belli non modo damna depulsa, sed pa-  
cis maxima etiam ad nos bona redundasse, ex  
fructibus earum rerum, posteritas  
arbitrari possit.



G

01 A 6638

ULB Halle

002 935 503

3







7  
ORATIO SOLLENNIS  
IN IPSIS  
*ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE*  
ANNIVERSARIIS IN AVGVRATIONIS  
SACRIS  
ET  
DE PACE  
AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI  
BRITANNIARVM REGIS  
**GEORGII III.**  
MODERATIONE SAPIENTIA AC VIRTUTE  
ORBI TERRARVM REDDITA  
GRATVLATIONIBVS  
PVBlico ACADEMIAE NOMINE  
HABITA  
A  
**CHRIST. GOTTLLOB HEYNE.**  
RHET. ET POET. P. P. O.

\*\*\*\*\*  
G OT T I N G A E  
APVD VICTORINVM BOSSIEGELIYM.  
MDCCCLXIII.